

Operibus ab ejus obitu infarctus. Confule praevium *Maur. Monitum*.

VII. fol. 56. p. 2. Incipit ejusdem. *Dilectissimo pape et ei qui (cum) ipso est clero et qui in perforum prouincia habitant (et) in fide dei firmati sunt. Athanasius in domino gaudere. Nugae graeci hominis, fortasse Athanasii, certe non Alexandrini, quarum Αυτογεαφον graecum nemo prodidit, Versionem latinam, et quidem nostram, Roma ad se missam Mauriani T. II. p. 716. vulgarunt cum Monito praevio, quod consule, si lubet. Init. Epistola: Sancta et diuinitus inspirata Scriptura &c.*

VIII. fol. 58. p. 2. *Dionysii Episcopi alexandrie ad paulum Samosatenum incipit feliciter. Ita: Dilectissimo fratri paulo episcopo antiochie &c. Et primum scribente te scripsimus adtrahentes te &c. Pseudathanasius superior hanc Pseudodionysii Epistolam pariter hic e graeco versam cum sua ad Persas mittit. Itaque haec illam etiam l. cit. p. 717. excipit. Versio eadem, quae Codicis.*

IX. fol. 62. p. 2. Incipit *Orthodoxi et Apollinaristae Dialogus de Christo. Sancti Athanasij feliciter. In hunc modum: Orthodoxus dixit. Corpus humanum habuit Christus an non? Apolenares respondit. Non. &c. Edidere Mauriani T. II. p. 471. Dialogos V. de Sancta Trinitate, quorum IV^{us}. noster praesens est, meliore tamen Versione stipatus. Athanasii non esse, neque Theodoreti, sed aut Maximi, aut incomperti Autoris,*

Monitum ibi praevium pluribus exequitur. In Codice his verbis abrumpitur: sic et ipsius vox est vox anime. Quae respondent graecis: Ουτως αυτη φωνη η φωνη της ψυχης, edit. *Maur. cit.* p. 530. sub finem n. 8.

Codicem e Bibliotheca Budensis ad *Job. Fabrum Ep. Vien.* devenisse notum Περγαμου illius in anteriore theca docet, transivisse vero per manus *Job. Alex. Brassicani*, credibile facit Testimonium *Photii* de Sermonibus S. *Athanasii*, calamo *Brassicani fol. ult.* adscriptum, quod ad verbum defumfisse videtur e supra memorata edit. *Vicentina 1482.* ubi, et bis quidem, fol. b. et c. 7. habetur.

CCLXIII.

Codex membranaceus lat. Sec. U. 85 XV. Folior. 42. f. min. nitide exaratus, fronte & initiorum literis auratis, picturatis, verisimiliter olim, quamvis, quod sinistri omnis est, erasa sint regia Insignia, ad Bibliothecam *Corvinianam* a morte *Matthiae* non satis custoditam pertinens, dein ad *Job. Cuspinianum* delatus, ut ejus *Μογγεαμου* literis C M P id est, *Cuspinianus Medicus Poeta*, constans, et a *Conradi Celtis Protuceii Poetae* Siglis C C P P sibi obversis probe distinguendum in aditu testatur, demum, ut triplici testimonio firmatum est, *Job. Fabri Ep. Vien.* ab eoque suo ad D. *Nicolaum Collegio* legatus anno 1540. continet D. *Basilii Ep. Caesarens.* Homilias in Εξαμπεγον,

gov, seu Opus sex Dierum Creationis latine redditas Sec. V. ab *Eustachio*, sive *Eustathio*, quibusdam dicto *Diacono*; *Afro* ad petitionem *Syncreticae Diaconissae* Germanae suae, Feminae, ut *Eustachius* in praevia testatur Epistola, sacrae lectionis studiosissima. Inferibitur et incipit haec Epistola: *Eustachius Syncretice germane diaconisse. salutem in christo. Religiosus simulque studiosus animus tue germanitatis dum plenitudinem caelestium nosse desiderat scripturarum* &c. Versio autem: *Conueniens exordium de mundi compositione narraturus adsumpsit* &c. Comparat illa post varias editiones T. I. edit. *Maur. Paris. 1721. Append. p. 631. f.* cui collatus Codex noster probe, ut plurimum, consentit. Subjecit ei Librarius caractere unciali: *Explicit Liber Eustachii Ad Syncreticam De Exameron Sancti Basilii Translato De Greco In Latinum.* Quod neminem turbabit, qui aut praecedentia legerit, aut Codicem ipsum inspexerit.

CCLXIV.

U. 165

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 135. f. nitide scriptus in Italia, purpura distinctus, et olim a *Johanne Fabro* Praesule nostro donatus Collegio suo ad D. *Nicolaum* hunc praefert Titulum: *Beati Basilij Archiepiscopi Cesaree Cappadociensis de deitate Filij et spiritus sancti aduersus Eunomium Liber a Georgio Trapezuntio traductus.* Praeit vero: *Ad Joannem*

Archiepiscopum Strigoniensem (sic) *Georgij Trapezuntii in translationem librorum magni Basilii contra Eunomium praefatio.* Dabo Translationis hujus Exemplum aliud *Cod. seq. CCLXV.* Praefatione Card. *Bessarionis* ad *Eugenium IV.* et *Trapezuntii* ad *Bessarionem* munitum. Cum igitur *Eugenius* jam annum 1447. in vivis supremum habuerit; *Johannes* vero noster *Vitezius* infulas *Varadienses* primum anno 1465. cum *Strigoniensibus* commutarit, liquet, *Trapezuntium* rei fortassis familiaris angustis pressum munifici Praefulis nostri fores denuo pulfasse. Quoniam autem Praefationis hujus secundae mentionem nullibi reperio, ad Card. *Quirini* et *J. B. Paschalii* modum eam hic integram visum est adtexere.

Catholica veritas, quae Scripturis sacris pater optime continetur, quemadmodum in duobus testamentis veteri ac nouo fundata est, sic maximas persecutiones duas habuisse, latere neminem harum rerum studiosum arbitramur. Unam, quae idolorum cultores evertere viribus omnibus praedicationem Apostolorum et Christi evangelium conati fuerunt. Alteram haereticorum, qui licet Scripturas non ignorarent, ad Platoniorum tamen, quae post Christum fuerunt, dogmata non longe ab idolatria sejuncta superbia quadam, et loquendi facultate magis quam intelligendi scientia freti confundere omnia maxime laborarunt. Sed Dominus noster Jesus Christus hoc est ipsa veritas genus humanum sanguine

Ff 3

Mar-